

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput XXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

interius degustare, quam bonum, quam suave, quam dulce
 sit amare te, o summum bonum meum. O mi dulcissime
 Deus, spes suspirantis animæ, te meæ quærent lacry-
 mæ, apud te est os meum sine voce, te solum desidero, te
 solum quero, quam felix, cum te invenero.

Caput XXXV.
 Aspiraciones ad Deum ob
 ejus misericordiam.

i Quid causa est, o dulcissime Deus, quod multis cordi-
 bus tam sis amabilis? cur anima electorum tuorum
 tantopere in te exultant? ^{Nunquid} ~~Atque~~ hoc ipsorum tri-
 buendum est innocentia? minimè profectò, sed id soli
 tua concedendum est misericordia; dum enim sua de-
 licta, quibus pietate tua longè indignos se reddiderunt
 animo obvolvunt, dumq; pariter considerant, quod
 tu, o amantissime Deus eos ad te revertentes tam
 paternè complectaris, teq; adeo benignum illis exhi-
 beas, veluti si te nunquam offensissent: hoc est Do-
 mine Deus, quod te in cordibus eorum tam amabilem
 tamq; dulcem efficit. Verè miserans et miserator
Dominus, longanimis, et multum miserans. In his,
 quibus veniam dedit, miserans est; in his, in qui-
 bus non dedit adhuc, longanimis est, non damnans,
 sed expectans, atq; ipsam expectatione clamans:

Ps. 144

convertimini ad me, et ego convertar ad vos. O amantissimi: me Deus, quis se non convertat ad te? quis ad te non accedat? quis te non semper quærat, cum sis tam pius tam benignus, tam misericors. O pater misericordiarum audi gemitum pupilli tui: porrige manum tuam adjutricem, ut retrahat me ab amore rerum transeuntium, et adducat me in semitam dilectionis tua; non enim est volentis, neque currentis, sed tui miserantis, ut diligam te; tuum Domine est hoc donum, cuius est omne bonum.

J. Aug. apud
Blos. in consol.
pupillan.

Aug. in sol. l.
cap 18

Equidem sum miser et miserabilis, quia anima mea multis est miseris. Sed cur anxier? cur metuum? cum est repleta habeam dominum, cujus misericordia plena est terra ps. 118 qui secundum altitudinem coeli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se. quoniam nam? ps. 102 quod coelum altius est terra, tanto misericordia ejus major est, quam mea, et omnium hominum miseria.

Quomodo igitur pater misereatur filiorum, miserus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum: et quod abundantior in me est miseria, eo magis super me moventur viscera misericordiae ejus, adeo ut meam miseriam intueri nequeat, quin invocatus mox misereatur, ipso attestante: cla-

mabit ad me et ego exaudiam eum, cum ipso sum in
 tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum. O Deus
 meus misericordia mea! tu es, qui sanas omnes infir-
 miores mitates meas, qui redimis de interitu vitam meam,
 qui coronas me in misericordia et miserationibus. Verè
 tu es misericordia mea; nam misericordia non est pro
 te, qui miseras rescis, sed pro me, qui iis abundo,
 quarum maxima est, quòd sepius vana huius se-
 culi appetam, te verò summum bonum et omnium
 deliciarum oceanum unice non desiderem. En abys-
 sus miseria abyssum invocat misericordiam. sana me
 Domine, illumina me, inflamma me, ut diligam te.
 Nunc recolam Domine Deus misericordiam, quã
 specialiter exhibuisti animæ meæ. Heu ubi nunc
 essem, o benignissime Deus, nisi misericordes oculos
 tuos convertisses ad me, et anima mea pepercisses. Er-
 rabam sicut multi, qui perierunt, sed tu mei miser-
 tus quasivisti, et reduxisti me. O quoties descendi usq[ue]
 ad portas inferni, sed ne illuc cum multis aliis intra-
 rem, tu me tenuisti. Heu de te via unquam cogita-
 bam, tu verò incessanter curam mei gerebas. Multi-
 plicabam numerum delictorum meorum, et tu
 mihi preparabas abundantiam gratiarum tuarum.

reddebam mala pro bonis tuis; tu verò non desinebas +
 reddere bona pro malis meis. Millies itaq; merui in-
 fernum, et millies, si ita loqui fas est, offers mihi coe-
 lum. Verè miseriçordia tua magna est super me. Heu ^{ps. 85}
 cor meum ferreum sit oportet, si iam ad tui amorem
 non moveatur. Ah tuum sit totum id, quod vivo, et ^{Aug. in}
 totus totum me tibi offero. Totus Spiritus, totum ^{Isid. C. 18}
 cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi, vita
 mea dulcis; quoniam totum me liberasti, ut totum
 me possideres. Diligam te igitur virtus mea: diligam
 te ineffabilis exultatio mea, et vivam iam non mihi
 sed tibi soli.

Caput XXXVI.

Aspirationes ad Deum ob
 ejus potentiam.

Domine Deus tu fecisti coelum et terram, et quicquid ^{Esth. 13.}
 coeli ambitu continetur, à te suam originem profi-
 tetur. A te omnia dulcia trahunt suam dulcedi-
 nem, omnia amoena suam amoenitatem, omnia
 pulchra suam pulchritudinem, omnia jucunda
 jucunditatem, omnia viventia vitam suam, omnia
 intelligentia suam notitiam, omnia perfecta suam